



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LIX. De Excommunicatione ob Clerici percussionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## C A S U S L I X .

## De Excommunicatione ob Clerici percussione[m].

Cajus post contractum cum Berta matrimonium per verba de presenti coram Parocho, & testibus, eò nondum consummatò excurrit in Urbem vicinam negotii conficiendi causâ; altero mox die, dum domum redit, reperit Quadratum Clericum cum Berta turpiter agentem, quem aufugere volentem aggressus primùm pugnis, dein arrepto nodoso fuste ita excipit, ut domum asportari debuerit.

QUÆR. I. An Cajus ita Quadratum Clericum percutiendo excommunicationem incurrit?

QUÆR. II. An quando dubitatur, an percussio in personam Clerici facta gravis sit vel levis? judicanda sit potiùs gravis, quàm levis, aut è contra?

QUÆR. III. Quid requiratur ad incurrendam excommunicationem ob Clerici percussione[m], & an & quando ignorans vincibiliter esse Clericum, quem percutit, nihilominus excommunicationem incurrat?

338 AD I. Q. R. eum, qui in continenti percutit Clericum turpiter, & inhonestè agentem cum propria Uxore, Matre, Sorore, & filia legitima non incurere ex hoc capite excommunicationem, tenet communis DD. & patet ex cap. si verò 1. de sentent. excomm. Unde resolutio præsentis quæstij ex eo pendet, an Berta in posito casu veniat nomine Uxoris, nec ne? Ubi non comprehendi Bertam nomine Uxoris, videtur ex eo probari, quòd, cum res hæc sit à communi jure exorbitans, & Clericis odiosa, nomine Uxoris non veniat sponsa de presenti non cognita, sicut non venit sponsa de futuro. Nihilominus.

Dicendum est cum communi DD. & Gloss. verb. cum Uxore, nomi-

Aaa 2 ne

ne Uxoris intelligi quamcunque sponsam de presenti, quæ coram Parocho, & testibus matrimonium contraxit. Ratio est, quia matrimonium ratum, etsi nondum per copulam consummatum, est adhuc verè matrimonium, quale etiam fuit matrimonium inter S. Josephum, & SS. Dei matrem semper Virginem: Unde juxta *l. r. t. 17. p. 2.* cum sponsa de presenti verè committitur adulterium, & violatur alienus thorus, & jus Civile æquè concedit viro accusationem hujus adulterii, quàm adulterii in matrimonio consummato, eademque pugnat ratio textus supra cit. utpote quæ etiam in hac materia exorbitante, & odiosa suadet, nomine Uxoris comprehendi etiam sponsam de presenti; nam mens Pontificis fuit excusare maritum ab hac excommunicatione ob injuriam adulterii gravissimam sibi illatam, ob quam etiam jure civili conceditur viro accusatio, & quia justum talem dolorem compescere difficillimum est, uti habetur *l. Gracchus 4. c. ad l. Jul. de adult.* hæc autem ratio militat pro quacumque sponsa de presenti, cum verè cum illa committatur adulterium, violaturque thorus alienus, ut dictum est supra. Accedit, quod etiam sponsus, & sponsa de presenti, qui nondum matrimonium consummaverunt, aliquando vocentur vir, & uxor *c. omnes Rex, c. cum initiatur, C. Conjuges, C. conjugium 27. q. 2.* constatque etiam ex *c. 1. Matth.*

*Jacob genuit Joseph. Virum Maria; & noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Hæc tamen doctrina extendenda non est ad sponsam de futuro utpote, quia odia sunt restringenda, nec sponsa de futuro verè ac propriè est uxor, nec cum illa adulterium à sponso committitur, quod à S. Th. 2. 2. q. 154. a. 8. dicitur violatio alieni thori. Thorus autem ante matrimonium de presenti non conceditur sponsis. Ex quibus colliges, Cajum in casuposito etsi graviter peccasset, nullam tamen ex hoc capite incurrisse excommunicationem, tenore cit. *cap. si verò de sent. excommunicat.* & simul responsionem ad rationem in contrarium.

Ad 2. Q. notandum est, duplicem Clerici percussione[m] distinguere, modicam, sive levem, & gravem, sive enormem; quænam autem æstimanda sit gravis, quænam levis, certa regula universaliter tradi nequit, sed judicio prudentum ex presentibus circumstantiis discernendum relinquitur; & licet in extravag. quæ incipit: *Perleddis* apud Molin. *D. 57.* Navar. & alios, levis percussio censeatur, si fiat palmâ, pugno, pede, baculo, lapide, & similibus, quæ nullam maculam, neque suggillationem carni relinquant, id tamen universalis regula esse nequit; nam non solum ex facto, sed ex aliis circumstantiis personarum v. g. si quis Episcopum, aut Prælatum suum

suam percutiat: item locorum, temporum, modique percutiendi, & lædendi, quod leve est, potest evadere grave, & enorme, ut si Religiosus sæcularem Clericum cum scandalo in loco publico percutiat, &c. Injuria tamen seu percussio enormis, seu gravis potissimum ex facto æstimatur, uti notat Molina l. c. uti si alicui detruncatum sit membrum, vel ita debile redditum, ut suo munere amplius fungi non possit, aut non nisi ægrè; vel si processum est ad sanguinis effusionem, per quam hæc intelligitur copia sanguinis, ut notant communiter DD. cum Gloss. C. cum illorum de sent. excomm. verb. effusionem sanguinis. Unde ad enormem, & gravem percussione[m], seu injuriam non sufficit, si modica sanguinis copia effundatur; nec sufficit semper multi sanguinis effusio, nisi sit conjuncta cum notabili læsione, ut per se patet, & ex extravag. cit. nam si læsio sit modica, & tamen ex ea multum sanguinis effundatur ex eo capite, quod membrum læsum sit valde aptum, ut ex eo multum sanguinis fluat, ut si nares lædantur, injuria non censetur idcirco atrox, seu gravis: Contra si læsio ex vulnere, ictu, dentium evulsione, multorum capillorum extractione, aut alia ex circumstantia sit admodum gravis, injuria quoque erit gravis, seu enormis, esto parùm, vel nihil sanguinis effundatur. Enormis, seu atrox interdum sumitur pressè, ac

proprie non solum, ut distinguatur à levi, sed etiam à mediocri, quæ media est inter levem, & enormem, ut si alicui percussione non admodum gravi dens excutiat &c. Aliquando verò, quæcunque injuria, quæ levis non est, atrox, & enormis appellatur.

Notandum 2. quamvis ab initio absolutio ab hac excommunicatione ob Clerici percussione[m] contracta, fuerit universim Apostolicæ sedi reservata, ut patet ex can. si quis suadente Diabolo, postea tamen concessum est Episcopis, ut & ipsi absolvere ab hac excommunicatione possint, si percussio, ob quam incurritur, sit duntaxat levis, ut patet ex C. pervenit de sentent. excomm. & tenet communis DD. contra quosdam existimantes, in eo cap. non concedi jus, sed solum speciale privilegium concessum esse; absolutio tamen ab excommunicatione contracta ob percussione[m] Clerici gravem, seu enormem de jure communi semper reservatur sedi Apostolicæ: Unde expedit scire, quænam percussio, seu injuria sit levis æstimanda, quænam gravis censenda, & quid dicendum in dubio de illius gravitate, & levitate; levitas autem hæc sumitur non pro culpa veniali, sed respectivè ad enormem; nam excommunicatio ob percussione[m] Clerici contracta, non incurritur nisi ob culpam lethalem juxta communem DD.

A a a 3

Ad

Ad propositum igitur Q. R. in dubio, an levis, anve gravis sit percussio, seu injuria, propendendum, judicandumque est, esse gravem, seu atrocem. Ita cum Navar. in man. c. 27. n. 92. Molina D. 57. Suarez de censur. D. 22. S. 1. Pal. tom. 6. D. 3. pun. 23. S. 4. al'isque communiter apud Dianam p. 9. tr. 4. R. 46. colligiturque ex Extravagante Perlectis, apud Navar. & Molin. l. c. cujus hæc sunt verba. *Perlectis &c. respondemus, percussio- nem levem esse pugni, palmae, manus, pedis, baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque Suggillationem carni- um relinquit, neque abscondit membrum, sine effractione dentium, sine evulsione multo- rum capillorum, sine effusione multi san- guinis. Nolumus tamen dicere, quod hujusmodi levis percussio, vel pugni, vel unguis, fiat atrox ob multi sanguinis esusionem. Ad judicandum tamen, quæ lesio sit levis, mediocris aut enor- mis, volumus diligenter perpendi non solum factum, sed etiam qualitatem ejus, & modum percutiendi, & læden- di cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ, & aliis. Personæ, si est Ma- gister, Judex, pater, patronus, aut digni- tas, percussus injustè à subdito, aut alio se viliori; quia ex hoc interdum censentur graves injuria, quæ ex se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio nego- tii non patitur integram determinatio- nem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ sit levis, & quæ enor- mis injuria, admonentes, ut potius de- clines, in dubio esse percussio- nem gra- vem, & ab ea non posse absolvere, quam,*

*declarando levem esse, occasionem præ- beas lædendi Statutum Ecclesiasticum. Ne scilicet hujusmodi Clericorum percussores, & injuriam inferentes de vicina, & facili absolutione ab Episcopo obtinenda confisi, facilius, ac frequentius in atroces prorumpant percussiones.*

Ad 3. Q. R. Ad hoc, ut ob ma-  
 349  
 nuum violentarum injectionem in  
 eum, qui hoc privilegio gaudet, in-  
 curratur hæc excommunicatio, ne-  
 cesse est 1. ut talis injectio fiat sua-  
 dente Diabolo, hoc est, ut fiat illi-  
 citè sive ex natura rei, sive ex ju-  
 ris humani dispositione. 2. Ut sit  
 culpa lethalis, quia excommunica-  
 tio major, qualis etiam hæc est,  
 non incurritur, nisi ob culpam  
 mortalem, ut docet communis  
 DD. cum Navar. in Manu. c. 27.  
 Sylvest. verb. excommunicatio, Cajet.  
 Molina l. c. Unde non incurritur  
 hanc excommunicationem duo Ec-  
 clesiastici jocosè se invicem per-  
 cutientes, etsi aliquid iræ, & appe-  
 titus vindictæ interveniat, immodò  
 tamen attentata qualitate percussio-  
 nis, attentisque aliis circumstantiis  
 præsentibus non intercedat culpa  
 lethalis: uti neque Lajcus gravi-  
 ter quidem percutiens Clericum,  
 sed ex subito iracundiæ motu, ani-  
 mo omninò non, vel non plenè  
 advertente, ad id, quod agitur, seu  
 non libero libertate ad peccatum  
 mortale sufficiente, prout ad illud  
 non sufficiunt motus primò pri-  
 mus, & secundò primus. 3. Requiritur

tur noticia personæ hoc canonis privilegio gaudentis, seu ut scias eum, quem percutis, esse Ecclesiasticum, esto erres, in persona Clericali, ut si existimes esse Petrum, quem percutis, cum sit Paulus, ubi censuram Excommunicationis propterea non effugies, sicuti cum aliis rectè annotavit Covar. in *C. alma*, p. 1. §. 10. & *argum. l. cum qui*, §. *si injuria*, ff. *de injuriis*. Contra verò si volens percutere Petrum, ab eo aberres, & casu sive præter intentionem percutias alium Clericum proximè astantem, liber eris ab hac excommunicatione, ut cum aliis docet Suarez *D. 22. S. 1. n. 54*. Ratio discriminis est, quòd in priore casu voluntariè percutias hominem, quem scis esse Clericum, in quo tota ratio consistit, ob quam hæc canonis excommunicatio lata est, utpote quæ pro injectione manuum violentarum lata est, non verò pro injectione manuum in hunc, vel illum Clericum. In posteriore autem casu voluntariè non percutis hominem, quem scis esse Clericum, siquidem, ut ponitur, à Clerici intenta percussione aberrasti, & alium casu proximè astantem præter intentionem, & involuntariè percussisti. Ratio autem cur prædicta noticia personæ Ecclesiasticæ requiratur, est, quia quando datur ignorantia invincibilis alicujus circumstantiæ, ex qua oritur aliqua culpa, pro qua

imposita est certa pœna peculiaris, & propria illi culpæ, tunc quemadmodum ea circumstantia excusat omninò ab illa culpa, ita excusat etiam ab ea pœna pro tali culpa statuta. Quod ipsum expressè deciditur *C. si verò 2. de sent. excomm.* Ubi qui injustè occidit Clericum comam nutrientem, quem ea de causa invincibiliter ignoravit esse Clericum, immunis pronunciatur ab excommunicatione.

Ad alterum, quod additur de ignorantia vincibili, R. sub distinctione, & siquidem percutiens Clericum ignoret vincibiliter esse Clericum ignorantia tali, seu adeò crassa, ut prudentis arbitrio, & spectatis omnibus circumstantiis occurrentibus non excuset à lethali culpa sacrilegii, excommunicationis pœnam non effugiet, qui manus violentas injicit in personam Ecclesiasticam; cum enim excommunicatio hæc imposita sit manus lethaliter injicienti in eum, qui privilegio canonis gaudet, & ignorantia, quòd aliquis eo privilegio gaudeat, spectatis circumstantiis occurrentibus adeò crassa sit, ut à culpa mortali sacrilegii non excuset, neque excusabit ab excommunicationis pœna pro ea lethali culpa statuta, prout etiam colligitur ex *C. ut animarum de const. lib. 6.* ubi ignorantia crassa, & stupina non excusat ab Excommunicatione.

Quòd

Quòd si ignorantia talis sit, quæ spectatis circumstantiis à mortali sacrilegii culpa excuset, solùmque venialem sacrilegii culpam inducat, ab excommunicationis pœna immunis erit, quia, cum ad incurrendam excommunica-

tionem majorem, qualis hæc est, requiratur culpa lethalis, ut supra insinuarum est, & ignorantia illa vincibilis culpam duntaxat venialem inducat, ab excommunicationis pœna haud dubiè excusabit.

## CASUS LX.

### *De Excommunicatione ob factam occultam compensationem.*

ORTUM ante paucos annos incendium in domo cujusdam personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ magnam illius partem absumpserat, totam utique in cineres redacturum, nisi ab acurrente populo brevè fuisset extinctum. Cùm autem occasione extinctionis multa à multis fuissent clam ablata, & occultata, institit persona illa Ecclesiastica apud Episcopum, ut Excommunicationem ferret in eos, qui ablata, & occultata non restituerent, quod & factum est. Unde cùm & Marchesinus opifex, cui persona illa Ecclesiastica debebat ultrà centum florenos, non nulla occultasset, secùmque domum asportasset, ea retinuit in compensationem solutionis debiti à dicta persona alias ægrè obtinendæ.

QUÆR. I. An Marchesinus Opifex teneatur ad restitutionem, & non restituendo à se ablata, & occultata incurrerit Excommunicationem latam in non restituentes?

QUÆR. II. An, si Judex interroget Marchesinum sub juramento, an aliquid occultaverit? possit id negare, & si fateatur, vel aliàs compensatio immutescat Judici, & condemnetur, teneatur in conscientia solvere panam, ad quam ob factam compensationem condemnatus est?

QUÆR.